

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Sextus De Christo [...].

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

electionis nomina ipsorum ante orbem con-
ditum in libro vitæ scripta sint, Luc. X, 20. ^{lium solatium?}

Phil. IV, 3. vid. Pl. LXIX, 29. (2) quod per
Spiritus sancti, qui est futuræ hereditatis
arrhabo, ob signationem de electione sui
certi fieri possint, 2 Cor. I, 21. 22. V, 1-5.

(3) quod Deus, qui ab æterno eos dilexit
et elegit, multo minus hoc tempore defer-
rurus aut derelicturus sit, Ier. XXXI, 3. Sap.
III, 9. (4) quod eos, vi huius electionis,
nihil ab amore Dei diuellere aut ex manu
Patris cælestis extorquere possit, Rom.
VIII, 33-39. Io. X, 29. Luc. XXII, 31.
2 Tim. II, 19.

ARTICVLVS SEXTVS

DE

CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ.

§. I.

Postquam in antecedentibus articulis de Quomo-
prima diuinitatis persona, Patre, il-
do hic ar-
lisque operibus, quæ in sacra scriptu-
ticulus
ra ei tribuuntur, edisseruimus; sequitur ex-
cum ante-
ordine supra indicato, vt de Christo, *secunda*
cedenti
diuinitatis persona, in hoc articulo agamus. *cohaeret?*

§. II.

Doctrina autem de Christo ita diuidi po-
rest, vt agatur (1) de ipsius persona, (2) de
na de
officio mediatorio, et (3) de statibus exinan-
diuidi
tionis et exaltationis. *potest?*

D

CAPVT

CAPVT PRIMVM

DE

PERSONA CHRISTI.

§. I.

Quot in
Christo
naturæ?

In Christo *duæ* diuersæ sunt *naturæ*, *diuina* et *humana*, quæ archissime et inseparabiliter vnitæ sunt et vnā personam constituunt.

§. II.

Præcipua
quæstio
in doctrina
de diuinitate
Christi
quænam?

Antequam demonstramus, esse in Christo diuinam naturam, siue Christum esse verum Deum, *præcipuam quæstionem*, ad quam omnia in hac materia redeunt, intelligamus oportet. Hæc autem quæstio est huiusmodi: Vtrum Christus Iesus per naturam nudus homo, et per exaltationem demum Deus factus, adeoque *filius* a Deo per gratiam *adoptatus* sit; an vero ipsa *natura* et *essentia* verus Deus, et hoc ipsum per æternam generationem a Patre adeptus, adeoque eiusdem, cuius Pater, *essentiæ*, *potentiæ* et *gloriæ* sit? Illud erroneæ Socinianorum scholæ docent; hoc salutaris doctrina, quam in verbo suo patefecit Deus, adseuerat.

§. III.

Veritas
diuinæ
naturæ
Christi
vnde probatur?

Veritas igitur diuinæ naturæ in Christo adseritur et demonstratur:

I. Ex diuinis nominibus, quæ Christo, et quidem eo sensu, quo soli Deo pro-

pro-

propria sunt, in sacra scriptura tribuuntur, Io. I, 1. 2. Act. XX, 28. In his dictis vocabulum *Deus* de Christo sensu maxime proprio, non autem eo, quo angelis et magistratibus tribuitur, accipiendum est, 1 Cor. VIII, 5. Io. X, 34-36. quod præter sermonis cohærentiam et alia loca, quæ de diuinitate Christi agunt, illa etiam dicta confirmant, in quibus cum singulari emphasi *verus Deus, Deus super omnia collaudandus in sempiternum, magnus Deus* vocatur, e. g. 1 Io. V, 20. Rom. IX, 5. Tit. II, 13.

II. Ex collatione locorum scripturæ veteris et noui testamenti, quorum in his de Christo explicantur, quæ in illis vero et essentiali Deo diserte tribuuntur. Ita inter se conferenda sunt Num. XXI, 5. 6. et 1 Cor. X, 9. Ies. VI, 1. seqq. et Io. XII, 40. 41. Ps. LXVIII, 19. et Eph. IV, 8. Ps. XLV, 7. et Hebr. I, 8. 9. Ps. XCVII, 7. et Hebr. I, 6. Ps. CII, 26. et Hebr. I, 10. 11. 12. Ps. CX, 1. et Hebr. I, 13. et alia loca plura.

III. Ex æterna Filii generatione ex essentia Patris. Vid. Ps. II, 7. Mich. V, 1. 2. Hebr. I, 3. *LUTHERVS* in tria symbola christianæ fidei, Tom. VII. Wirteb. fol. 144. a. (Tom. VI. Alt. fol. 1262. b.) „Creatam lucem non aliunde scriptura or-
tam esse dicit, nisi ex tenebris, hoc est, ex
nihilō. Sed heic dicit textus, quod Chri-

D 2

„stus

„*stus sit splendor, non ex tenebris lucens, et*
 „*quod tenebrae non produxerint ipsum, nec*
 „*luceat ex nihilo sed luceat ac resplendeat ex*
 „*ipsa claritate Patris, hoc est, ex interna et na-*
 „*turali illius diuinitate et essentia.*” Huc spe-
 ctant omnia loca, in quibus Deus *Pater* Do-
 mini nostri Iesu Christi, et Christus *Filius* Pa-
 tris appellatur. Io. I, 14. 18. III, 16. V, 18.
 Rom. VIII, 32. Col. I, 15. Hebr. I, 4. 5.

IV. Ex diuinis attributis, quæ
 scriptura æque Filio adsignat atque Patri.
 Vid. Exod. XXIII, 20. 21. quæ sunt (1) *ater-*
nitas, Io. I, 1. 15. 27. VIII, 58. XVII, 5.
 Apoc. XXII, 13. (2) *omnipotentia*, Io. X,
 28. Phil. III, 21. (3) *omniscientia*, Io. II,
 24. 25. XXI, 17. Hebr. IV, 13. Apoc. XXI,
 23. (4) *omnipresens*, Matth. XVIII, 20.
 Eph. I, 23. Apoc. I, 13. II, 1.

V. Ex diuinis operibus, quæ
 Christo competunt, (1) nimirum ex *crea-*
tione, Io. I, 3. Hebr. I, 10. Col. I, 16. (2)
 ex *conseruatione*, Hebr. I, 3. Io. V, 17. (3)
 ex *eduçtione* *Israëliitarum ex Aegypto*, Exod.
 III, 2-6. coll. XXIII, 20. 21. (4) ex *resuscita-*
tione mortuorum, propria quidem virtute
facta, Io. V, 21. 28. 29. et reliquis eius mi-
 raculis omnibus, Io. XIV, 10. 11. *LVTHE-*
RVS in Io. I. Tom. VI. Altenb. fol. 1174. b.
 „*Quemadmodum Deus per verbum (hoc est,*
 „*Christum, Filium suum) creauit calum et*
 „*ter-*

„terram: ita etiam Christus, quidquid vo-
 „luit, effecit et egit, non nisi per prolatum
 „verbum fecit, e. g. Talitha kumi, hoc est,
 „puella surge. „ cetera. (5) ex redemptione
 generis humani, Act. XX, 28. **LV THERVS**
 in Comment. ad Galat. c. III. Tom. V. Wit-
 teb. fol. 350. a. (Tom. VI. Alt. fol. 702. a.)
 „Abolere peccatum, destruere mortem, au-
 „ferre maledictionem in se ipso, et donare
 „iustitiam, vitam in lucem producere, adfer-
 „re benedictionem, hoc est, in nihilum redi-
 „gere hac, et creare illa, sunt solius diuinæ
 „potentia opera. Quia vero scriptura tribuit
 „Christo ista omnia, ideo ipse est vita, iustitia
 „et benedictio, quæ naturaliter et substantia-
 „liter Deus est. „

VI. Ex diuino cultu, qui Chri-
 sto debetur, et re ipsa præstatur.
 Vid. Io. V, 23. XIV, 1. Hebr. I, 6. Apoc.
 V, 13. 14. Matth. XXVIII, 19.

§. IV.

Officium nostrum secundum hanc do- Quod-
 ctrinam est, (1) Christum, seruatorem no- nam offi-
 strum, vt verum, magnum et supra omnia cium no-
 laudandum Deum omni tempore suppliciter strum se-
 ac demisse colere. vid. §. III. n. VI. (2) Li- cundum
 benti animo sanctæ ipsius voluntari obtem- hanc do-
 perare, Luc. VI, 46. coll. 1 Petr. III, 6. ctrinam?

§. V.

Hæc doctrina de Domini nostri Iesu Quod-
 Christi diuinitate magnam nobis adfert con- nam sola-
 D 3 sola-
 tium?

solationem, quandoquidem firmiter nobis persuadere possumus, (1) quod meritum et satisfactio eius infinitæ virtutis et valoris sit. *LVTHERVS* in Io. XIV. Tom. VII. Alt. fol. 92. b. „*Si credo, Christum nudum hominem pro me passum esse, Christus ille parui mihi pretii seruator est, ipse seruatoris indigens. Si autem hunc thesaurum et hoc pondus adnecto, quod Christus verus Deus et homo pro me mortuus sit, peccatum omne, mors, orcus et miseria ac meror omnis hoc ipso præponderatur.*” (2) Quod satis virium et facultatis habeat ad tuendum nos ab omnibus aduersis et dandum nobis ad hanc et futuram vitam necessaria. Ies. VIII, 9. 10.

§. VI.

De incarnatione Christi quid notandum?

Præter diuinam, in persona Christi etiam *humana natura* est, adeoque non tantum verus Deus est, sed verus etiam homo. Qua de re notandum, (1) quod ipse a Spiritu sancto in utero Mariæ virginis *conceptus*, Ies. VII, 14. Matth. I, 18. 20. Luc. I, 35. (2) Quod adeo *verus homo* factus sit, quod ad essentiam eiusdem, cuius nos, naturæ Hebr. II, 14. 17. Rom. IX, 5. Gal. IV, 4. non solum vero ac naturali corpore et omnibus corporis membris, perinde ac nos, sed humana etiam anima præditus, Matth. XXVI, 38. Luc. XXIII, 43. 46. (3) Quod simul cum et in ista humana natura *humanas imbecillitates* adsumserit, tam eas, quæ etiam

etiam

etiam sine peccato huic naturali vitæ, cum futura æterna vita comparatæ, conueniunt, e. g. comedere, bibere, dormire, ceteras, quam illas, quæ ex peccato omnibus in vniuersum hominibus adhaerent, in Christo autem in statu exinanitionis vitio caruerunt, Matth. IV, 2. Io. XIX, 28. IV, 6. XI, 33. XII, 27. Hebr. II, 17. IV, 15. Vitiōsas autem imbecillitates non adsumsit, 2 Cor. V, 21. Hebr. IV, 15. VII, 26. Io. XIV, 30. 31. I Io. III, 5. I Petr. I, 19. Pri- Cur Chri-
mi generis humanas infirmitates adsumsit, stus alias
vt pati ac mori, secundi vero generis, vt infirmita-
misericors fieri et nostris infirmitatibus adfi- tes adsum-
ci posset; Hebr. II, 17. 18. IV, 15. Ter- sit, alias
tiii generis infirmitates noluit adsumere, vt non ad-
sumsit?
se pro nobis sanctum et mundum sacrificium tradere, atque ita a peccato et morte nos vere liberare posset. *LUTHERVS* Conc. in Gen. III, 15. Tom. II. Alt. fol. 879. a. „Pec-
„cator peccatorem, aut fur furem a patibula
„liberare non potest, homo frugi et innocens
„id faciat oportet. Si igitur Christus opem
„et salutem nobis indigentibus ferre velit,
„conceptio et natiuitas eius pura et sancta sit, Quomo-
„neceffe est.„ Ex quibus omnibus Christi do hoc ad
erga nos amorem cognoscere et celebrare, vilitatem
eius item exemplum in hoc ipso imitari de- nostram
bemus, vt aliorum infirmitates non solum referen-
dum?
toleremus, sed etiam (non quidem expian-
di causâ, sed beneficio mutuæ communio-

nis in Christo) nostras faciamus, quemadmodum Christus non solum infirmitates nostras in nobis tolerauit, sed etiam in se recepit. Rom. IX, 2. XV, 1-4. 1 Cor. IX, 22. Gal. VI, 2. *LUTHERVS* Postill. Eccles. in epist. domin. II. Aduent. (Tom. XIII. Lips. fol. 40. b. fin.) „D. Paulus hoc ipsum dicit „Dei gloriam per Christum instauratam, eo, „quod nos adsumpsit, et peccata nostra aboleuit. „Ita aliorum peccata, onera et infirmitates „in nos recipere, tolerare, emendare, eisque „succurrere debemus. Hoc si peccatores audiunt vel sentiunt, bono animo in Deum esse „incipiunt, et, quam bonus, inquirunt, quam „propitius Deus et verus Pater is est, qui „eiusmodi habet populum, ab illisque requirit, ut nos miseros et infirmos peccatores ne „iudicent, condemnent vel despiciant, sed „adsumant, sed inuent, sed tractent, ac si „nostra peccata nostræque infirmitates sunt ipsorum sue. Quis talem Deum non amet, „laudet, celebret, honoret, et ex toto animo „omnia ei commendet? Quis ille ipse futurus „est, si populum suum esse vult huiusmodi? „

§. VII.

Quomodo vnio
diuinæ et
humanæ
naturæ
vocatur?

Diuina et humana natura in Christo intime et ætissime invicem vnitæ sunt atque coniunctæ; quæ admiranda et inseparabilis vnio ac coniunctio dici solet vnio personalis, quippe in qua duæ naturæ conueniunt, nec tamen nisi vnā personam constitu-

stituunt, 1 Tim. II, 5. III, 16. 1 Cor. VIII, 6. Io. I, 14. Col. II, 9. Hebr. II, 14. 16. *LVTHERVS* in Io. cap. I. Tom. VI. Alt. fol. 1184. a. „*Origenes hanc unionem comparat cum ferro candenti. Quemadmodum ignis ferrum penetrat et permeat, ferroque omni sese miscet; ita VERBUM AETERNUM humanam naturam adsumsit eamque divina luce et vita repleuit, humana etiam natura cum VERBO ita unita est, quemadmodum ferrum ab igne penetratur.*„

§. VIII.

Ex hac arctissima et personali vnione et communione naturarum existit mutua *idionatum* vtriusque *communicatio*. Huius *venne* existit? *ro* communicationis *tria* sunt *genera*. *Pri-* Quomodo ista commu-
num genus continet istos loquendi modos, *nicatio* idioma-
tum genus continet istos loquendi modos, *tum* diui-
quibus ea, quæ humanæ naturæ propria *ne* existit?
sunt, de Christo, vt Deo; et quæ diuinæ *Quomodo ista*
naturæ propria sunt, de eodem, vt homi- *commu-*
næ, prædicantur, v. g. *Filius Dei natus est ex* *nicatio*
muliere, Gal. IV, 4. *Auctor vitæ occisus est,* *idiona-*
Act. III, 15. Dominus gloriæ cruci adfixus, *tum* diui-
1 Cor. II, 8. Filius hominis adscendet eo, ubi *ditur?*
erat. Io. VI, 62. *Secundum* genus est,
quando de operibus et actionibus officii
Christi sermo est, vt ambæ naturæ operen-
tur coniunctim, quæque quod suum est,
cum communicatione alterius. Eo referendæ
sunt hæ et aliæ huiusmodi propositiones:
Deus ecclesiam suo sanguine comparauit, Act.

XX, 28. *Semen mulieris conteret tibi caput, et tu illi calcem illides*, Gen. III, 15. *Christus nos a legis execratione adseruit, factus pro nobis execratio*. Gal. III, 13. *Tertium genus in eo consistit, quod diuinæ proprietates et perfectiones humanæ Christi naturæ tribuuntur*. Et speciatim quidem omniscientia, Io. II, 24. 25. XXI, 17. omnipræsentia, Eph. I, 23. IV, 10. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. omnipotentia, Matth. XXVIII, 18. potestas remittendi peccata, Matth. IX, 6. I, 21. virtus viuificandi, Io. V, 21. VI, 51. potestas iudiciaria, Io. V, 22. 27. cuius adorationis, Phil. II, 9-11. Vbi notandum, omnes istiusmodi proprietates diuinitati per essentiam, humanitati autem per vnionem personalem competere.

§. IX.

Quod- *Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) fidelissimo seruatori nostro pro incarnatione immortales gratias agere; (2) cauere, naturam nostram, quam Christus in hypostasim suam adsumsit, contaminari? nemus; I Cor. VI, 13. (3) cum Christo spiritualiter et mystice vniri, vt in ipso diuina et humana natura personaliter vnite sunt, I Cor. VI, 17.*

§. X.

Quid solati- *Ex doctrina de humanitate Iesu Christi ex hac sti, eiusque inseparabili et indissolubili conjunctione cum diuina natura fluit solatium,*
(1)

(1) quod vere redempti simus; siquidem ille, ad nos re-
 le, qui nos redemit, verus homo, adeoque
 eiusdem, cuius nos sumus, naturæ et es-
 sentię est. 1 Tim. II, 5. 6. (2) Quod Fi-
 lius Dei per incarnationem frater noster fa-
 ctus sit, qui infirmitatibus nostris adfici
 possit, et ad quem, tamquam solum gratiæ,
 confidenter accedere nobis liceat, Hebr. II,
 11. 17. IV, 15. 16. (3) quod natura nostra
 humana hac indissolubili coniunctione cum
 diuina natura in Christo summopere nobili-
 tata, et ad inenarrabilem dignitatem et glo-
 riam supra omnes angelos euecta sit.

CAPVT SECVNDVM

DE

OFFICIO CHRISTI
MEDIATORIO.

§. I.

In meditatione officii Christi mediatorii In officio
 pro fundamento habendum est, Iesum Christi
 nostrum esse promissum illum et desti- mediato-
 natum a Patre seruatore et mediatorem rio quid
 mundi, quem omnes prophetae venturum pro fun-
 esse in mundum prædixerunt. Proinde quæ damento
 stio heic est: Num Iesus Nazareus, cuius dum?
 historiam in euangelistis legimus, et quem
 adnuntiarunt apostoli, is sit, in quo, tam-
 quam Messia et seruatore mundi, plane confi-
 dere

dere possimus; an vero cum hodiernis Iudæis alius nobis expectandus?

§. II.

An hæc
veritas
alicuius
momenti
est?

In hac veritate, quod *Iesus Nazarenus is ipse sit*, nos confirmandi eamque exemplo Pauli, Act. IX, 22. XIX, 4. et aliorum, c. VIII, 35. XVIII, 28. aduersus contradicentes defendendi causam tanto maiorem habemus, quanto grauioris momenti ea est; quandoquidem fundamentum fidei et salutis nostræ in ea positum est, eiusque sine viuâ cognitione nemo ex Deo natus esse et salutem consequi potest. I Cor. III, 11. I Io. II, 22. V, 1.

§. III.

Vnde hæc
veritas de-
monstra-
tur?

Argumenta, quibus hæc veritas demonstratur, vel expressa apostolorum testimonia sunt; vid. in primis Act. II, 25. sqq. III, 22. sqq. IV, 11. 26. 27. VIII, 32. seqq. vel ex *collatione veteris et noui testamenti* fluunt, dum ex hoc ostenditur, in Iesu nostro ea deprehendi, quæ in illo de Messia fuerunt prædicta, ita quidem, ut in ipso vel iam impleta vel adhuc implenda sint.

§. IV.

Ista argu-
menta
quotupli-
cis gene-
ris?

Sunt autem ista argumenta *duplicis* generis, vel *interna*, ex ipsa Iesu natura et indole petita, vel *externa*, ex rebus extraj ipsum desumpta.

§. V.

§. V.

Quæ prioris generis sunt, in eo consi- Prioris
stunt, quod Iesus Nazarenus talis fuerit ea- generis
que fecerit, qualem Messiam ex diuina or argumen-
dinatione secundum prædictiones vaturn esse ta in quo
et quæ facere oportuit. Huc spectant se- confi-
quentes demonstrationes: stant?

I. Cuius doctrina talis fuit, qualis ex Quænam
prophetarum testimoniis doctrina Messiae demon-
esse debuit; ille verus et a Deo promissus strationes
Messias est. Atqui doctrina Iesu Nazareni huc spe-
talis fuit, qualis doctrina Messiae esse debuit: ctant?
Ergo Iesus Nazarenus est verus et a Deo pro-
missus Messias. Nimirum de Messia præ-
dictum fuerat, ipsum euangelium adnun-
tiatum, atque ita doctrinam eius conso-
lationis plenioram futuram, quam Moysi,
si in proprio quidem officio consideretur,
Deut. XVIII, 15. 16. 17. 18. 19. Ies. XLII,
2. 3. L, 4. LXI, 1-3. Id quod in nostrum
seruatorem apte quadrat, quippe qui non
tantum ipse per se, sed per apostolos etiam
suos, talem doctrinam, secundum noui fœ-
deris testimonia, professus est. Matth. XII,
17. 18. 21. Luc. IV, 21. 22. Io. I, 17. VI,
68. Marc. XVI, 15. 16. 20. 2 Cor. V, 20.

II. Qui omnia *miracula* patrauit, quæ
Messias patrare et ex quibus cognosci de-
buit; ille Messias sit, oportet. Atqui Ie-
sus Nazarenus ista miracula omnia (tum
ipse per se, quum mortalis ageret, tum
postea

postea per apostolos suos) patrauit: Ergo Iesus Nazarenus Messias sit, oportet. Quæ de illis miraculis prædicta sint, vid. Ies. XXXV, 3-6. LXI, 1. 2. A Iesu autem, domino nostro, patrata ea esse, adfirmatur Matth. XI, 5. Io. X, 24. 25. XV, 24. XX, 31. XIV, 12. Act. III, 12. 13. 15. 16.

III. Futurum erat, ut Messias propter externam faciem et *formam contemtam* a multis repudiaretur, secundum Ies. LII, 14. LIII, 2-4. Ps. CXVIII, 22. Ies. VIII, 14. Atqui Iesus Nazarenus propter externam faciem et *formam contemtam* (cum ipse, tum in membris suis) a multis repudiatu fuit: Io. I, 11. Luc. XIX, 14. Matth. XXI, 38. 39. 42. Act. IV, 11. Rom. IX, 33. I Petr. II, 6. Ergo Iesus Nazarenus verus a Deo promissus Messias sit, oportet.

IV. Messias, ex tenore totius sacrae scripturae veteris testamenti, pro nobis *mori, sepeliri, tertia die ex mortuis resurgere, in celum ascendere, Spiritum sanctum effundere*, et *euangelium* per omnem terrarum orbem *prædicandum* curare debuit. Vide in primis Genes. III, 15. Psalm. XVI. XXII. LXVIII. Ies. LIII. cetera. In Iesu Nazareno hæc omnia testantibus noui testamenti scripturis, impleta fuerunt: I Cor. XV, 3. 4. Luc. XVIII, 31-34. XXIV, 26. 27. Matth. XII, 39. 40. Act. I, 9-11. II, 1. seqq. Luc. XXIV, 46. 47. Col. I, 5. 6.

§. 6. Ergo verus a Deo promissus Messias sit, oportet.

§. VI.

Posterioris generis argumenta et demon- *Posterioris generis argumenta in quo consistunt?*
strationes potiores sequenti ratiocinio com-
 plecti possumus. Messias ille, qui ita est
 comparatus, quemadmodum in prioris ge-
 neris argumentis §. V. ostensum est, ex stir-
 pe Davidis nasci debuit, 2 Sam. VII, 12. Ier.
 XXIII, 5. 6. Matth. XXII, 42. et quidem
 Bethlehemi in Iudæa, Mich. V, 1. Matth.
 II, 6. republica iudaica iam collapsa, Gen.
 XLIX, 10. stante adhuc templo secundo,
 hoc est, eo, quod post reditum ex captivi-
 tate Babylonica exstructum erat, Hagg. II,
 8. Mal. III, 1. et intra LXX hebdomades,
 populo iudaico Dan. IX, 24. destinatas.
 Atqui Iesus Nazarenus natus est ex stirpe Da-
 uidis, Luc. II, 4. republica iudaica iam
 collapsa, com. 1. 2. stante adhuc templo
 secundo, Luc. II, 22. 46. et LXX hebdo-
 madibus Danielis ferme præteritis. Ergo
 Iesus Nazarenus est verus a Deo promissus
 Messias; quandoquidem promissiones Dei
 non fallunt, nec quisquam alius in vniuer-
 so terrarum orbe ostendi potest, in quo
 hæc omnia deprehensa fuerint aut depre-
 hendantur.

§. VII.

Neque vero satis est, hanc veritatem Quid de
 ex prolatis in medium argumentis ratione adlatis ar-
 com.

gumentis comprehendere, aut aduersus Iudæos ad lit-
 adhuc no- teram tueri; sed, vti reliquæ veritates
 tandum omnes, ex verbo Dei in ordine pœni-
 est? tentiæ ac fidei, illustrante in nobis Chri-
 stum Spiritu sancto, cognoscenda, obli-
 gnanda et confirmanda est: siquidem nemo
 est, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi
 per Spiritum sanctum, 1 Cor. XII, 3. Matth.
 XVI, 16. 17. Io. III, 33. VII, 17. XVI,
 14. XVII, 8. 2 Cor. IV, 6.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc do-
 Et rinam est, (1) in gratia ac merito Iesu
 Quod- nostri, vnius mediatoris et seruatoris mun-
 nam heic di, confidere, nec alium expectare, 1 Petr.
 nostrum officium? II, 6. 7. (2) in aliorum ad salutem institu-
 tione hunc Iesum, tanquam Christum, vni-
 cum fundamentum iacere; atque, omnium
 seruorum Dei exemplo in veteri ac nouo te-
 stamento, ad ipsum solum, quod sit Domi-
 nus, eos remittere, Act. X, 43. Io. I, 8. 9.
 15. 16. 17. 20. 27. 29 - 36. III, 27 - 36.
 Matth. XI, 2. 3. 1 Cor. I, 23. II, 2. III,
 10. 11. 2 Cor. IV, 5. (3) vestigia huius Ie-
 su premere, eique libenti animo parere, at-
 que hoc ipso demonstrare, nos vere in eum
 credere, Phil. II, 5. 1 Petr. II, 21. Marc.
 VIII, 34. Matth. XXII, 5. (4) in humili
 ac contempta eius forma non offendere,
 Matth. XI, 6. 1 Petr. II, 7. (5) gloriæ ac
 maiestatis ipsius patefactionem sub spe et pa-
 tien-

rientia expectare, eaque animum nostrum, quacumque calamitate et vexatione fractum atque adflictum, erigere ac recreare, 1 Thess. IV, 15 - 18.

§. IX.

Solacium, quod ex hac doctrina fluit, Quod est, (1) quod fides nostra, beneficio Dei in hac veritate fundata, firma persistat, Aet. IV, 12. (2) quod nunc propius nos sit salus, quam tum, quum credidimus eamque futuram expectauimus, Rom. XIII, 11. Luc. X, 23. 24. 2 Cor. VI, 2. (3) quod, ut memorati Messiae characteres in Iesu nostro deprehensi fuerunt, ita futurum sit, ut et reliqua de Messia eiusque gloria in sacris litteris promissa non minus constituto diuinitus tempore impleantur. Luc. XVIII, 31. Ies. XXXIV, 16.

§. X.

Officium Christi mediatorium tria complectitur, *propheticum*, *sacerdotale* et *regium*.

Officium Christi mediatorium quot complectitur?

§. XI.

Si queras, *quis* sit propheta noster; idem ille est, quem supra demonstrauius esse verum Messiam, nimirum IESVS CHRISTVS. Hic magnus ille propheta est, qui ex diuino promisso (Deut. XVIII, 18.) in mundum venire debuit, Aet. III, 22. quem Iehoua suo tempore misit, et officio suo, *ter* separatis temporibus publice declaratum,

E

raturum,

ratum, quasi initiauit, Matth. III, 17. XVII, 5. Io. XII, 28. Qui uti diuinam et humanam naturam habet, ita secundum vtramque propheta noster est. Secundum *humanam* quidem naturam ad hoc officium Spiritu sancto vnctus fuit sine modo, Ies. LXI, 1. Luc. IV, 18. 21. linguaque et voce sua humana docuit, Matth. V, 1. sqq. in primis *diuinæ* naturæ id tribuendum est, quod Patris sui voluntatem exposuit ac patefecit, Io. I, 18. Matth. XI, 27. et verbo vim atque efficaciam indidit. Marc. XVI, 20.

§. XII.

Officium
Christi
propheti-
cum ad
quosnam
spectat?

Ceterum hic Iesus noster *vniversalis* propheta est, eiusque officium propheti- cum ad omnes omnino homines spectat: nam vera lux est, quæ collustrat omnem hominem, veniens in mundum, Io. I, 9. Quamquam enim, quod ad visibilem muneris prophetici administrationem attinet, ad solos Iudæos missus fuit, Matth. XV, 24; per discipulos tamen suos in vniuerso terrarum orbe illud continuauit, vitæque correctionem et peccatorum veniam per omnes gentes prædicari iussit, Luc. XXIV, 47.

§. XIII.

Munia of-
ficii pro-
phetici
quomodo
confidera-
ri pos-
sunt?

Munia officii prophetici duplici modo considerari possunt, (1) *generatim*, in eo sita, quod diuinam voluntatem exposuit Io. I, 18. XII, 50. Hebr. I, 1. cum legis, Matth. V. VI. VII. tum maxime euangelii, Io.

Io. I, 17. (2) *speciatim*, et quidem (α) quum Christus in *terra* versaretur, vbi euangelistæ ipsum magna cum potestate et ἐνεργείᾳ Matth. VII, 29. Io. VI, 63. VII, 46. et quidem palam, Io. XVIII, 20. multa cum libertate et reprehensione mali, Matth. XXIII. cum ob signatione per miracula, c. XI, 5. sanctæ vitæ exemplo Io. VIII, 46. nec non prædicatione multarum rerum futurarum, Luc. XIX, 42. seqq. Matth. XXIV, 25. docuisse perhibent. (β) Postquam in *gloriam ingressus* est, quo spectat, quod ministerium ecclesiasticum instituit, per illudque efficaciter operatur, 2 Cor. V, 19. Rom. I, 5. Eph. IV, 11. Act. XXVI, 18. et per Spiritum suum beneficio verbi in animis credentium in se docet eosque veritate sua sanctificat et ob signat. I Io. II, 20. 27. Io. III, 33. XVI, 13.

§. XIV.

Officium nostrum est, (1) Christum Quod-
vnicum nostrum doctorem et magistrum nam officium nostrum hac
agnoscere, Matth. XXIII, 10. (2) ipsi dicto-
audientes esse, Matth. XVII, 5. Deut. XVIII, in re?
15. et Spiritus sui operationi, qua nos il-
luminare vult et sanctificare, non resistere,
Prou. I, 5. Hebr. II, 1. sqq.

§. XV.

Solatium nostrum ex hac doctrina hoc Quod-
est: Christus non solum tamquam sacerdos nam inde solatium?
salutem nobis acquisiuit; sed etiam tam-
quam propheta viam, qua ad eam perue-
niamus,

niamus, commonstrare nobis vult, ex quo ipsius amor erga nos et desiderium salutis nostræ clare elucet. Vnde non omittet per Spiritum suum sanctum beneficio verbi nos instituere et docere, petentes a se. 1 Io. II, 20. 27.

§. XVI.

Sacerdos
noster
quis?

Idem ille Iesus, qui propheta, *sacerdos* etiam noster est, et quidem secundum utramque naturam, diuinam atque humanam. *Humana* quidem natura omnes perpeſsiones sustinuit, susceptis in hunc finem infirmitatibus nostris, sine tamen peccato, Hebr. II, 17. 18. IV, 15. 1 Petr. II, 24. *Diuina* autem, etsi in se non passa est, passioni tamen et morti Christi infinitum pondus et valorem addidit, vt humani generis peccata hoc modo expiari potuerint, diuinæque iustitiæ satisfieri. Ad hoc officium Christus ab ipso Deo, quemadmodum Aaron in veteri testamento, vocatus fuit, Hebr. V, 4. 5. 6. qua in re Christus hanc habet prærogatiuam, quod cum iureiurando sacerdos factus est; quum contra Aaron eiusque successores sine iureiurando sacerdotes facti sint. c. VII, 20. 21. Quo loco etiam sacerdos ad rationem Melchisedechi vocatur; vt significetur, ipsum nobis esse vnum solum sacerdotem, qui similem sui ante se haud habuerit, nec, quum daret in sempiternum, necesse habeat sacerdotio alteri cedere.

cedere. c. VII, 1. *LUTHERVS* Conc. in Gen. XIV. Tom. IV. Alt. fol. 100. b. „*Hoc*
 „*sacerdotium ab isto tempore, quo mundus*
 „*cæpit, ad finem usque durat. Per hunc sa-*
 „*cerdotem Adamo et Eua absolutio impertiri*
 „*debet, et impertienda est nouissimo omnium*
 „*christiano, qui adhuc nascetur. Aeterna*
 „*persona est, in omnia manens sæcula.*”
 Accedit, quod sanctitate et innocentia veteris testamenti sacerdotibus infinite antecellat, dum illi pro suis etiam ipsorum peccatis victimas libare necesse habuerunt, hic vero, quia omnino sanctus et vitii expers fuit, pro aliorum tantum peccatis fecit sacrificium, Hebr. VII, 26. 27.

§. XVII.

Hoc Christi officium sacerdotale ad *Officium*
omnes omnino homines attinet; siquidem ser- *Christi sa-*
 uator noster omnium mortalium peccata *cerdotale*
 peccatorumque pœnas in se recepit, Io. I, *ad quos*
 29. 1 Petr. II, 24. Ies. LIII, 6. Rom. XV, 3. *spectat?*
 pro omnibus sanguinem liberationis pre-
 tium dedit, 1 Tim. II, 6. Matth. XX, 28.
 coll. Leuit. XXV, 25. 26. illosque eo ipso
 redemit et vindicauit, Gal. III, 13. IV, 5.
 2 Petr. II, 1. Luc. I, 68. Hebr. II, 15. Deo
 reconciliauit, 2 Cor. V, 19. 1 Io. II, 2. Col.
 I, 21. 22. iustitiam et vitam æternam omni-
 bus acquisiuit, Rom. V, 18. sqq. Dan. IX,
 24. 2 Tim. I, 10. Nemo tamen fructum
 officii eius sacerdotalis percipit, nisi in or-

dine veræ pœnitentiæ et fidei. Luc. XXIV, 46. 47. Io. III, 16.

§. XVIII.

Munia
huius of-
ficii qua-
nam in re
confi-
stunt?

Munia autem eius his tribus partibus absoluuntur: (1) *oblatione*, (2) *intercessione*, et (3) *benedictione*, sicut in veteri etiam testamento munia sacerdotii Aaronis et successorum eius in his tribus potissimum posita fuerunt. Hebr. VIII, 3. Exod. XXX, 7. 8. Sap. XVIII, 21. Num. VI, 23.

§. XIX.

De sacrifi-
cio sacer-
dotis no-
stri quid
notan-
dum?

Sacrificium Christi sacrificiorum typicorum veteris testamenti *impletio* et antitypus est, adeoque tanto melius ac præstantius, quam fuerunt ista, Hebr. VIII, 5. IX, 9. coll. com. 13. 23. 24. et X, 1. sqq. Apoc. XIII, 8. quæ tantum beneficio et virtute sacrificii a Christo, quum plenum tempus aduenisset, faciendi, mortalibus in veteri testamento profuerunt. Sacrificium vero Christi a typicis istis sacrificiis præcipue in hoc discrepat, quod, quum illorum sanguis pollutos ad corporis tantummodo puritatem lustrarit, e contrario sanguis Christi libatus conscientias purget a mortuis operibus ad colendum Deum viuum, Hebr. IX, 13. 14. Et quum illa sæpius repeti, hoc *semel* tantum fieri oportuit, Hebr. VII, 27. X, 10. IX, 25. 26. Rom. VI, 10. Præterea, quum illic (in veteri testamento) sacrificium

a sa-

a facificante esset distinctam, Christus contra se ipsum obtulit hostiam, Hebr. I, 3. X, 12. Eph. V, 2. ubi per omnem vitam variis perpeſſionibus, et tandem morti sponte se subiecit, Io. X, 18. Phil. II, 8. nec ad sua, sed ad totius generis humani peccata expianda caelesti Patri victimam sese praeſtuit, 1 Petr. II, 24. Ps. XL, 7-9. quo ipso etiam pro omnibus ac singulis satisfecit, aeternamque liberationem adeptus est, Rom. III, 24. 2 Cor. V, 14. Hebr. IX, 12. 1. c. LIII, 6. 1. c. LV-
THERVS Conc. in Ps. CX. Tom. VII. Alt. fol. 368. b. „Iſto sacrificio ſemel perſunctus
 „eſt pro totius mundi peccatis per mortem
 „ſuam in cruce, quae altare fuit, in quo vi-
 „ſcentem illam et ſacram corporis et ſanguinis
 „ſui hoſtiam Deo Patri cum precibus et ſuppli-
 „cationibus, cum vehementi queſtu et lacrimis
 „acerbiſſimis immolauit, immenſique amoris
 „igne, ex animo eius erumpente, conſumſit.
 „Hoc verum ſacrificium eſt, quod omnium
 „mortalium peccata vno atque eodem tempore
 „penitus tollit et abolet, aeternamque recon-
 „ciliationem et veniam adfert. Id quod
 „ſummis laudibus praedicandum atque extol-
 „lendum eſt. „

§. XX.

Interceſſio Chriſti, tamquam ſacerdo- De inter-
 tis, facta eſt, ſicuti ſacrificium eius, pro ceſſione
 omnibus quidem hominibus, hoc tamen cum Chriſti
 diſcrimine, vt impiis reſiſcentiam, ſideli- quid tra-
 bus dit ſcri-
 ptura?

bus autem constantiam et accessionem fidei ac sanctimoniam orauerit, Ies. LIII, 11. 12. Luc. XXII, 32. XXIII, 34. Io. XVII, 9. 11. 15. 17. 20. seqq. Hebr. V, 7. Quam in rem etiam nunc officio sacerdotali fungitur, quamuis in gloriam suam iam ingressus, Hebr. IX, 24. VII, 25. I Io. II, 1. Rom. VIII, 34. Veruntamen ista intercessio non amplius ab eo fit in humili serui forma, quemadmodum facta est in terra, sed ratione quadam, maiestati ipsius conueniente, latente autem et inenarrabili. *LUTHERVS* l. c. fol. 369. a. „*Quamquam satis est, Christus semel esse libatum pro totius mundi peccatis ad nouissimum usque diem; tamen, quia adhuc semper peccato et infirmitate constrictamur, sine intermissione pro nobis apud Patrem intercedat necesse est, ne illud nobis peccatum et infirmitas imputetur, contra ea Spiritus sancti robur et virtus donetur. Ideo enim in celum adscendit et consedit ad dextram Patris, ut per suam intercessionem nos in gratia ac fauore Dei aeternum conseruet, vires item et victoriam aduersus peccati terrores, diaboli, mundi, et carnis tentationes nobis largiatur.* „

§. XXI.

Benedictio Christi quid?

Benedictio summi sacerdotis nostri potissimum posita est in applicatione omnium thesaurorum gratiae, quibus ad salutem egemus: quo in primis Spiritus sanctus cum omni-

omnibus dotibus et operationibus suis referendus est, Aët. III, 26. Gal. III, 8. 9. 14. Eph. I, 3.

§. XXII.

Officium nostrum est, (1) huic servatori nostro pro officio mediatorio immortalis gratias et agere et habere, ac divini et flagrantis amoris eius, qui ex illo elucet, cognitione fidem nostram corroborare; (2) per solum sacerdotem nostrum ipsiusque sacrificium pro nobis præstitum peccatorum veniam a Deo petere, omniaque nostra precum et laudum sacrificia, quæ tamquam novi fœderis sacerdotes facimus, in hoc officio et sancta intercessione ipsius fundare, Io. XIV, 13. 14. Hebr. X, 19 - 22. XIII, 15. et (3) ipsius ad exemplum alios pro aliis supplicare, variisque spiritualibus ac corporalibus beneficiis nos inuicem adficere, 1 Tim. II, 1. 1 Petr. III, 9. et tandem (4) pro fratribus animas ponere, quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, 1 Io. III, 16. Rom. IX, 3. Col. I, 24. 2 Tim. II, 10.

§. XXIII.

Solatium, quod fideles ex Christi officio sacerdotali habent, est, (1) quod de absoluta peccatorum venia certi esse possint, (2) quod Pater cælestis propter huius fidei ac misericordis sacerdotis intercessionem, in satisfactione atque efficacissimo merito suo fundatam, adherentes eis naevos et infirmi-

Quodnam officium nostrum secundum hanc doctrinam?

Quodnam solatium fideles hinc habent?

firmitates patienter toleraturus nec ipsis imputaturus sit; dummodo fusi sanguinis virtute sese ipsos ab illis magis atque magis purgare studeant. Rom. VIII, 1. 1 Io. I, 7. 2 Cor. VII, 1. (3) Quod nec in hoc tempore, nec æternum vlllo bono carituri sint, quia Christus factus est eis benedictio, (4) quod Christus sanguine suo eos fecerit Deo sacerdotes ipsorumque hostias spirituales omnes per se ipsum Patri gratas efficiat, Apoc. I, 6. V, 10. 1 Petr. II, 5. 9.

§. XXIV.

Num
Christus
etiam rex
est?

Denique Christus etiam rex est, Io. I, 49. XVIII, 37. Apoc. XIX, 16. itidem secundum utramque naturam. *Divine* quidem regia dignitas competit ex generatione æterna a Patre, Ps. II, 6. 7. Io. XVI, 15. et creatione ac conseruatione rerum omnium, Io. I, 3. Hebr. I, 3. *Humane* ex vnione personali. Notandum tamen est, quod secundum hanc naturam plenum regie dignitatis exercitium in statu demum exaltationis, posteaquam ad dextram maiestatis in sublimi confedit, ingressus sit, Eph. I, 20. 21. 22. Phil. II, 9. 10. 11. tamen si ius et ipsum dominium iam a conceptione et natiuitate habuit, eiusque radios quosdam passim exseruit. vid. Luc. I, 43. Io. XVIII, 37. XIX, 19. Ceterum regium hoc officium perinde ac propheticum et sacerdotale a Patre suo adeptus est, quippe qui eum regem creauit atque

que vnxit, Psalm. II, 6. 7. LXXXIX, 28.
Luc. XXII, 29.

§. XXV.

Regnum Christi regis nostri pro œcono- Regnum
miae et subiectorum diuersitate *triplex* est, Christi-
potentie siue *naturæ*, *gratiæ* et *gloriæ*. quotu-
plex?

§. XXVI.

Regnum potencie siue *naturæ* est, quo Regnum
omnes in vniuersum res creatæ Christo sub- potentiæ
iectæ sunt, et ipse earum dominus est, eas quid?
conseruat et gubernat, ita vt sine ipso nihil
sint et nihil possint facere, Matth. XXVIII,
18. Eph. I, 21. In hoc regno *subditi* sunt res
omnes creatæ, Ps. VIII, 7. XXIV, 1. CX, 1.

§. XXVII.

Regnum gratiæ in eo consistit, quod Regnum
Christus sibi in hac terra aliquem cœrum, gratiæ in
postquam sanguine eum acquisiuit, per ver- quo con-
bum et sacramenta colligit, Ps. CX, 3. Rom. sistit?
I, 5. Matth. XXVIII, 19. a regno tenebra-
rum defendit ac protegit, c. XVI, 18. XXVIII,
20. Ps. II, 3. 4. vid. Exod. I, 12. variis bonis
spiritualibus, ad quæ tam administrantia
quam sanctificantia dona spectant, cumulate
ornat atque explet, 1 Cor. XII, 4. 12. Rom. XII,
3. 4. sqq. Eph. IV, 7. 8. 15. 16. 2 Tim. I, 7.
adeoque hoc regnum non terrestri ac munda-
na, sed cœlesti ac spiritali ratione constituit
et administrat, Io. XVIII, 36. *Subditi* in hoc
regno sunt omnes vere fideles, vtpote in
quibus singulis Christus regnum suum ha-
bet,

bet, Rom. XIV, 17. viuit, Gal. II, 20. Col. III, 4. peccatumque, mundum ac diabolum in illis et per illos deuincit, Rom. VI, 12. VIII, 37. 2 Cor. X, 4. 1 Io. IV, 4. V, 4. vnde regium sacerdotium vocantur, 1 Petr. II, 9.

§. XXVIII.

Regnum
gloriae
quid?

Regnum *gloriae* est, quod Iesus Christus laetus victoria in caelum adscendens occupauit, in quo iam viuit ac regnat, quod aliquando etiam, deletis hostibus suis, patefaciet, in eo ecclesiam triumphantem moderabitur, cum ea gloriosissime et magnificentissime regnabit, atque aeterna illam gloria et salute replebit, Luc. XIX, 12. XXIV, 26. Hebr. II, 5. 8. X, 13. Apoc. XII, 10. XIX, 6. XX, 1-6. Hoc regnum alias variis iucundis nominibus appellatur, e. g. σαββατισμός, sabbatismus, Hebr. IV, 9. tempus recreationis, Act. III, 20. aetas, Luc. XXI, 30. 31. Cant. II, 11-13. cena nuptiarum Agni, Apoc. XIX, 7. 9. cet. *Subditi* in hoc regno sunt omnes homines beati atque electi, qui in regno gratiae Christo fidem habuerunt, ipsiusque sanctificationis ac perpeffionum participes facti sunt, Luc. XVI, 22. XXII, 28. 29. 30. XXIII, 43. 2 Petr. I, 8. II. 2 Tim. II, 11. 12. 2 Theff. I, 4. 5. 6. 7. Apoc. III, 21. VII, 13-17. XX, 4.

§. XXIX.

§. XXIX.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) Christum, morem ei gerendo, confiteri regem ac dominum nostrum, Pf. II, 10-12. (2) Quemadmodum ipse non est mundanus, nec regnum eius mundanum; ita nec nos, qui ciues eius esse cupimus, mundanos esse decet, Rom. XII, 1. 2. Io. XVII, 14. (3) Quum a Christo facti simus reges, id eo demonstrare debemus, quod diabolo, mundo et carni non permitamus in nos dominium, sed omnes eorum tentationes, illecebras et lenocinia regio Christi spiritu superemus et vincamus. vid. supra §. XXVII.

§. XXX.

Solacium, quod ex regio Christi officio reportant fideles, est, (1) quod non habeant, quem metuant, a Christo autem, magnificando rege suo, praesidium propitiumque regimen sibi promittere possint, Ies. VIII, 9. 10. (2) quod virtute, qua ipse viuit ac regnat, hostes etiam suos spirituales vnuerfos superare valeant, in eosque dominari, Rom. VI, 14. VIII, 37. 1 Io. V, 4. Eph. VI, 12. seqq. (3) quod finito fidei certamine, quod ad animam, in regnum eius transferantur, Luc. XVI, 23. XXII, 28. 29. 30. XXIII, 43. 2 Cor. V, 1. seqq. (4) quod in patefaciendo regno gloriae non tantum ciues eius futuri, sed cum Christo etiam

Quod-
nam offi-
cium no-
strum fe-
cundum
hanc do-
ctrinam?

Quod-
nam sola-
cium?

etiam

etiam rege suo imperaturi ac regnaturi sint,
vid. supra §. XXVIII.

CAPVT TERTIVM

DE

DVPLICI STATV CHRISTI,
EXINANITIONIS ET EXAL-
TATIONIS.

§. I.

Exinani- **S**tatus *exinanitionis* Christi accuratissime
tio Christi omnium describitur Phil. II, 6. 7. 8. se-
qua in re cundum quod dictum natura istius ex-
fita fuit? inanitionis in his duabus partibus sita fuit:

(1) In *abdicatione* plenarii vsus *diuinae*
formae, hoc est, diuinarum proprietatum,
ab ipso temporis puncto, quo in utero Ma-
riae virginis conceptus est, iure alioquin ei
competentium, ab ipsoque re ipsa semper
retentatum. Neque vero eas rapinae loco
habuit, aut de iisdem in hominum conspe-
ctu magnifice se iactauit, sed se ipsum ex-
inaniuit. Ita se abiunxit ab omniscientia,
Marc. XI, 13. XIII, 32. omnipotentia, 2 Cor.
XIII, 4. diuitiis et possessione alicuius rei
propriae, quamuis esset caeli et terrae domi-
nus. 2 Cor. VIII, 9. Matth. VIII, 20. LV-
THERVS in Io. XVIII. Tom. IV. Alt. fol.
645. a. „Homines nequissimi, improbissimi
„Deoque inimicissimi Hierosolymis domicilia
„habent et cubicula repagulis clausa, at Dei
„filius

„filius extra portas ruri et forte sub quadam
 „arbore, quasi in diuersorio et cubiculo, re-
 „quiescere necesse habet, quemadmodum ipse
 „dicit Matth. VIII., Verumtamen maiesta-
 „tesua et diuinis proprietatibus subinde ali-
 „qua ex parte vsus est, quod radios vocant,
 quos quasi ex densa exinanitionis nube emi-
 sit. Ita legimus de vsu omniscientiæ Matth.
 IX, 4. XVII, 27. Io. II, 25. omnipotentia,
 de qua omnia in vniuersum miracula eius,
 in primis mortuorum resuscitatio, testantur.
 vid. etiam Matth. XVII, 1. seqq.

(2) *In adsumptione formæ seruilis*, quā omni-
 bus sese seruum præstitit, Matth. XX, 28.
 Io. XIII, 13. immo obediens fuit Patri vsque
 ad mortem, et quidem mortem crucis, quod
 ignominiosissimum mortis genus et seruile
 supplicium erat, nec adeo profundior ali-
 qua humiliatio fieri poterat. Gal. III, 13.
 LUTHERVS in Io. I. Tom. VI. Alt. fol.
 1204. b. „Non est vlla maior seruitus, quam
 „quod Dei Filius vniuscuiusque hominis, vt
 „inops, miser et contemptus est, seruus fit
 „eiusque peccata tollit.“

§. II.

Fundamentum et ratio huius exinanitio- Quod-
 nis quærenda est in lapsu nostro, et in gra- nam fun-
 uissime læsa per hunc lapsum diuina iustitia, damentum
 cui Christum, postquam nos diuinam glo- rum et ra-
 riam inhiauiimus, per abdicationem eius sa- tio est hu-
 tisfacere oportuit, si cum Deo reconciliari nitionis?

æter-

æternumque feruari deberemus. Gen: III, 5. 6. 2 Cor. VIII, 9. Ies. LIII, 5.

§. III.

Quinam
gradus
exinaniti-
onis?

Exinanitio Christi secundum certos gradus considerari potest, adeoque complectitur (1) *conceptionem* et *natiuitatem*, in qua plures circumstantiæ deprehensæ, in quibus eam aliquid abiecti habuisse, ex Matth. I. et Luc. II. videre est. De spiritali eius applicatione vide Matth. XII, 50. Gal. IV, 19. (2) *Pueritiam* et *iuuentutem*. *LUTHERVS* Tom. VI. Alt. fol. 1155. b. „Vixit, uti homo quispiam alius; ad tricesimum usque ætatis annum apud Mariam matrem fuit, uti mos est liberorum. Puer gessit se puerum, similiter atque puer quisquam alius, parentibus morigerus fuit, fecit, quæ præceperunt, Luc. II, 51.” (3) *Passionem* sub Pontio Pilato, ad quam præludii instar vniuersa eius vita referenda est, quæ ab utero matris ad mortem usque non nisi ærumnosa et misera fuit. Spiritualis eius applicatio ostenditur 1 Petr. II, 21. IV, 1. (4) *Crucifixionem*, ubi factus est pro nobis execratio de patibulo suspensus, Gal. III, 13. *LUTHERVS* Comment. in Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 348. b. (Tom. VI. Alt. fol. 698. a.) „Quia omnis latro secundum legem suspendi debuit, debuit et Christus ipse secundum legem Moysi suspendi, quia gessit personam peccatoris et latronis, non vnius, sed omnium peccatorum

„*rum et latronum.*„ Quid ista crucifixio in nobis efficere debeat, vid. Rom. VI, 6. Gal. V, 24. VI, 14. (5) Mortem in cruce, quam Dominus, tamquam stipendiam peccati, quod baiulabat, pati pro nobis debuit, Hebr. II, 9. coll. Io. XI, 49. 52. et XVIII, 8. Ion. I, 11. 12. 14. 15. Gen. XXII, 13. *LV-THERVS* Comment. in Gal. II. Tom. V. Witteb. fol. 316. a. (Tom. VI. Alt. fol. 620. a.) „*Quum remorsum conscientiae propter peccatum sentio, serpentem illum aeneum, Christum in cruce, adspicio, ibi peccatum aliud inuenio contra meum peccatum, quod me accusat et deuorat. Peccatum vero aliud, scilicet in carne Christi, quod tollit peccatum totius mundi, omnipotens est, damnat ac deuorat peccatum meum. Ita peccatum meum, ne me accuset et damnet, damnatum est per peccatum, id est, per Christum crucifixum, qui factus est pro nobis peccatum, ut iustitia Dei per illum fieremus. Sic mortem in carne mea inuenio, quae me adfligit et occidit, sed habeo contrariam mortem, quae est mors mortis meae, ea crucifigit et deuorat ipsam.*„ (6) Sepulturam, ideo factam, ut tum mortis eius veritas testata fieret, tum sepulcra nostra sanctificarentur: qui vltimus et infimus fuit exinanitionis gradus. De horum posteriorum graduum, mortis videlicet et sepulturae, virtute in spiritali applicatione vid. Rom. VI, 1. seqq.

§. IV.

Quod-
nam hac
in re offi-
cium no-
strum?

Officium nostrum est, (1) ex profunda Christi exinanitione grauitatem et turpitudinem lapsus nostri animo demissio agnosce- re. (2) Exemplo eius cupere esse viles, humiles et contemptos in hoc mundo, in ea- que re mentis nostræ cum mente Christi conuenientiam demonstrare, Rom. VIII, 29. XII, 16. Matth. XX, 26-28. Phil. II, 3. 5. Hebr. XII, 24-26. coll. c. XII, 2. XIII, 13. LVTHERVS in Pl. CXXVI. Tom. III. Wit- teb. fol. 544. b. (Tom. VII. Alt. fol. 554. b.) „Quisquis proficitur, se baptizatum esse et „censeri nomine Christi gaudet, statuat, se „non esse meliorem Christo, Domino suo. „Oportet enim conformes fieri imagini Filii „Dei. Si Christus gestauit spineam coronam, „non speremus, futurum, vt nostro capiti „serta et rose imponantur., (3) Eo contem- dere, vt quemadmodum Christus omnium hominum seruus factus est, ita et nos ipsum imitantes omnium hominum serui fiamus, omnesque acceptas vires et dotes in rem et commodum aliorum conuertamus, Rom. XV, 1-3. 1 Cor. IX, 19.

§. V.

Quod-
nam sola-
tium?

Solacium ex hac doctrina est, (1) quod per seruatoris nostri, tamquam secundi Adami, profundam humiliationem fastus primi Adami, in quo omnes peccauimus, perfecte expiatus, et diuinæ iustitiæ hoc ipso

ipſo cumulatiſſime ſatiſfactum ſit, Rom. V, 18. 19. (2) quod per ignominiam ſuam nobis honorem repararit, et id iuris acquiſierit, vt cum ipſo coram Deo et Patre ſuo æternum exaltemur, 2 Cor. VIII, 9. (3) quod omnes adſtictiones huius ſæculi, paupertatem, contumeliam et contemtionem, immo ipſam mortem hoc ipſo nobis leuauerit et ſanctificauerit, Rom. VIII, 29. Io. XV, 20. (4) quod ſub cruce, ignominia et contemtionem imaginis Chriſti conſimiles reddamur, qui hiſce etiam perpeſſionibus noſtris adſci, in illiſque nos conſolari et erigere poteſt, Rom. VIII, 29. Hebr. IV, 15.

§. VI.

Ad ſtatum exultationis Chriſti ſpectat, *Exaltatio Chriſti qua in re conſiſtit?*
 (1) quod Chriſtus *inſirmitates*, quas noſtra cauſa adſumſerat, *depoſuit*, non amplius morti obnoxius, Ieſ. LIII, 8. Rom. VI, 9. Hebr. VII, 25. (2) quod pleniffimum maiſtatis ac gloriæ diuinæ uſum, quo ſe in ſtatu exinanitionis libere abdicauerat, reſumſit, ſupra omnia exaltatus, Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 9. 10. 11. Eph. I, 20. 23. 1 Petr. III, 22. (3) quod gloriam iſtam ſuam aliquando coram mundo patefacturus eſt, ſolus extollendus. Col. III, 3. 4. Hebr. II, 8. et X, 12. 13. Ieſ. II, 11. ſeqq. Pſalm. LXXII, 8 - 19. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX.

§. VII.

Quodnam fun-
damentum et ra-
tio exalta-
tionis
Christi?

Fundamentum et ratio magnæ illius gloriæ, ad quam homo Iesus Christus euectus est, in eo sita est, quod seruator nobis opus erat, qui non solum salutem nobis acquireret, sed re ipsa etiam conferret, quod facere non potuisset, si mansisset mortuus et corruptionem esset passus. Rom. IV, 25. 1 Cor. XV, 14.

§. VIII.

Quinam
gradus
exaltatio-
nis?

*Gradus exaltationis Christi sunt (1) Descensio ad inferos, 1 Petr. III, 18-20. Eph. IV, 9. 10. LUTHERVS in Artic. II. symbol. apostol. Tom. VI. Alt. fol. 82. a. „Hoc præcipuum momentum, hæc utilitas et virtus præcipua est, quam hinc percipimus, et quam de descensione Christi ad inferos credere nos oportet, quod neque orcus, neque diabolus me aliosue, in eum credentes, captiuos ducturi aut lesuri sint.“ (2) Vera resurrectio a mortuis, cuius historia apud euangelistas legenda et secundum circumstantias suas ponderanda est. Quemadmodum autem virtutem et efficaciam suam in nobis etiam exferre debeat, vid. Rom. VI, 4. Col. II, 12. III, 1. Eph. II, 4-6. LUTHERVS Conc. in Col. III, 1. sq. Postill. Eccles. Tom. XIII. Lips. fol. 526. b. „Si in hac concione vere gloriarı et solatium inde reportare cupis, quod Christus morte ac resurrectione sua tibi opitulatus sit, non perseuerare debes in anti-
„qua*

„qua vitiositate, sed nouam quasi cutem induere. Nam mors et resurrectio eius facta est ideo, ut tandem tu quoque una cum ipso huic mundo demoriaris et resurrectioni ipsius similis euadas, hoc est, ut nouus homo fieri incipias, quemadmodum ipse supra in celo.”
 (3) *Adscensio in celos*, de qua in scriptis euangelistarum et apostolorum actibus legere est. Hæc in nobis spiritualiter ira debet fieri, ut cum Christo in cælestibus collochemur, hoc est, per Spiritum ipsius discamus cælestia sapere. Vid. Col. III, 1. 2. Eph. II, 6. Phil. III, 13. 14. 20. Quemadmodum fidem nostram ex adscensione Christi corroborare debeamus, docet *LUTHERVS* Serm. in adscens. Christ. Tom. VIII. Alt. fol. 925. a.
 „Sedentibus, inquit, ad ianuam inimicis meis et me interficere cogitantibus, fides mea sic ratiocinatur: Christus in celum adscendit, omniumque rerum creaturarum dominus factus est; ergo et inimici mei ipsi subiecti sunt, oportet. Vnde in eorum potestate non est, ut me ledant, immo vel digitum mouere, vel vnum capillorum meorum vellicare audeant, si pote, sine voluntate Christi! Hoc si fides apprehendit et in isto articulo stat, bene stat, animosa fit et secura, ut hunc in modum disputet: Si dominus meus me ab illis voluerit occidi, occidar, et hinc demigro. Vides igitur, ipsum in celos adscendisse, non ut ibi pro se ipso sedeat, sed ut ibi regat

„omnia nostro bono, ut consolationem et la-
 „titiam inde percipiamus.“ (4) Sessio ad
 dextram Dei Patris, qui veram et effica-
 cem eius praesentiam etiam secundum hu-
 manam naturam apud nos haud tollit.
 Psalm. XVI, 11. CX, 1. Hebr. I, 3. Rom.
 VIII, 34. Ephes. IV, 10. Matth. XXVIII,
 20. *LUTHERVS* in Psalm. CX. Tom.
 VII. Alt. fol. 330. b. „Non ait: Dixit
 „Iehoua, sede in solio Davidis, siue esto meus
 „(Davidis) heres; sed ait: Sede ad dextram
 „meam. Hoc sane vno solo verbo signifi-
 „cat, ipsum summopere esse exaltatum, et
 „splendidissimum regem creatum, non qui-
 „dem in miseram arcem Hierosolymorum,
 „nec in imperium Babylonicum, Romanum
 „aut Constantinopolitanum, aut totum ter-
 „rarum orbem, quæ certe magna esset po-
 „testas, immo nec in celum, astra, et
 „omnia, quæ sub adspectum cadunt; sed
 „multo altius et longius. Sede, inquit,
 „iuxta me, in sublimi solio, in quo ego
 „sedeo, mihiq; esto æqualis. Id enim vo-
 „cat, iuxta se sedere, non ad pedes, sed
 „ad dextram, hoc est, in eadem maiestate
 „et potestate, quæ diuina appellatur pote-
 „stas.“ Et tandem (5) aduentus ad iudi-
 cium, et cum hoc coniuncta gloriæ ipsius
 patefactio. 2 Thess. I, 7-10. Matth. XXV,
 31. vid. §. VII. n. 3.

§. IX.

§. IX.

Officium nostrum est, (1) Deo non minus pro exaltatione, quam exinanitione Filii ipsius demissas gratias agere, siquidem hæc sine illa nihil nobis proderet; quum contra ex accepta a Patre gloria certo possumus statuere, habere nos ipsum redemptorem ac servatorem perfectissimum; (2) sancta cum reuerentia et demissio obsequio huius nostri gloriosissimi redemptoris præcepto nos submittere; (3) tota vita et moribus nostris non solum mortem, sed vitam etiam et diuinam virtutem Christi prædicare, 2 Cor. IV, 10. XIII, 3. 4. et (4) patefactionem magnæ maiestatis et gloriæ eius fide sperare et expectare. 1 Cor. I, 7. 2 Tim. IV, 8. Tit. II, 13.

§. X.

Solacium est, (1) quod ex hac exaltatione de facta per mortem ipsius redemptione et reconciliatione nostri cum Deo certi esse possumus, Rom. IV, 25. (2) quod ipsum habeamus talem servatorem, qui omne suum meritum nobis applicare et fructuum eius in hac et futura vita participes nos reddere potest, Ps. LXVIII, 19. vid. Rom. V, 10. (3) quod gloria illius nostra quoque gloria, et futurum sit, ut, si modo simul patiamur, statuto tempore ad eam exaltemur. Ps. LXXII, 7. Io. XVII, 22. 24. Rom. VIII, 17. 1 Petr. V, 6.